DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA
INAVGVRALIS

DE

ABSORPTIONE

QVAM
ANNVENTE DIVINO NVMINE
PRAESIDE
IO. FRIDER. FASELIO
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE
THEORET. PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS
D. XXXI. MART. MDCCLX.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVCTOR
FRANCISC. PETRVS EMCKEN
Tondera-Holsatus.

IENAE,
LITTERIS MARGGRAFIANIS.

DISSERTATIO

PHYSIOLOGICO - MEDICA INAVGVRALIS

DE

ABSORPTIONE.

§. I.

Quemadmodum plures, vti teſtatur physiologia, in corpore noſtro ſano eueniunt actiones, quarum ope et partes ſolidae et fluidae eliminantur perpetuo; ita etiam numero plures dantur actiones, in ſtatu ſano contingentes, quarum interuentu harum partium amiſſarum reſtitutio iterum obtinetur, vt

ſic eo melius tam partium corporis noſtri continentium, quam contentarum conſtitutio naturalis poſſit conſeruari. Inter poſterioris generis actiones iure meritoque locum quemdam ſibi vindicat iſta, quae *abſorptio, inhalatio* vocari ſolet. Et haec ſit argumenti loco, de quo nonnulla in hoc ſpecimine inaugurali diſputare fixum nobis deſtinatumque in animo eſt. Certiſſime enim ſumus perſuaſi, fore, vt non parum vtilitatis ex hiſce laboribus redundet in iſtos, qui in animum inducunt, omnes in ſtatu ſano euenientes actiones in corpore noſtro partim accuratius perſpicere, partim modum agendi medicamentorum, ſuperficiei corporis adplicatorum, partim veram geneſin morborum contagioſorum, epidemicorum, hydropis pluriumque aliorum morborum, abſorptionem impeditam pro cauſſa agnoſcentium, intimius perueſtigare ſatagunt. Nos quidem minime latet, hoc argumentum iam ſcite ac ſolide expoſitum eſſe ab aliis, praeſertim in eleganti libro, quem celeberr. ABRAHAMVS KAAV Lugduni 1738. *a*) publici fecit iuris. Attamen quum materia nobis non dum videatur plenarie exhauſta, ſed potius multa ſuperſint, in quibus ingenii noſtri vires

a) ſub titulo: *Perſpiratio dicta Hippocrati.*

vires periclitari possimus, experiri tentareque volumus in hoc specimine inaugurali, an partim ab aliis praetermissa supplere, partim hanc doctrinam magis magisque illustrantia et confirmantia, methodo quidem satis simplici, penitius enodare possimus? Benignissimum numen iubeat hos labores esse fortunatos, id est, quod ardentissimis efflagitamus precibus.

§. II.

Absorptio, generatim considerata, nihil aliud est, quam *penetratio fluidi ex adhaesione in caua alterius cuiusdam corporis.* Ex hacce definitione, quam medici adprobant recentiores, prono fluit alueo, absorptionem semper duo supponere corpora:

I. *Vnum*, quod absorbetur, et quod penetrat. Hoc vero si pensitamus accuratius, semper debet esse:

a) *Fluidum.* Solidum enim, qua solidum, penetrare nequit in tam angusta caua, vti deprehenduntur caua corporis absorbentis.

b) *Satis subtile fluidum.* Alias enim penetrare non posset; hinc semper debet constare ex particulis, quarum diameter est minor diametro cavi, in quod fit penetratio.

c) *Fluidum decenti grauitate ſpecifica gaudens*. Quippe quum penetret ex adhaeſione, neceſſe eſt, vt ſupponat grauitatem ſpecificam decentem (per princ. phyſic).

d) *Fluidum minus tenax vel viſcidum*; quod ſi enim eſt fluidum magis viſcidum, tunc cohaeſio partium inter ſe eiusmodi fluidi, quae eſt maior, ingreſſum impedit.

II. *Alterum*, quod abſorbet. Hoc corpus quod attinet,

a) et *ſolidum* et *fluidum* eſſe poteſt. Quod enim hoc vel iſtud fluidum quoque abſorbere poſſit aliud fluidum, id firmo aër communit teſtimonio.

b) *vel eamdem grauitatem ſpecificam habere debet cum fluido, quod abſorbet, vel ſaltim ſpecifice grauius quoad partes eſſe debet, quam eſt fluidum abſorbendum*; (per princ. Phyſic.).

c) *multis cauis, quae inſtar vaſorum capillarium conſiderari poſſunt, gaudere debet.* Penetrat enim fluidum, quod abſorbetur, in caua ex adhaeſione; eiusmodi vero penetratio ſemper ſupponit caua anguſtiora, et hinc vaſa capillaria. (per phyſic.).

§. III.

Quodſi igitur in genere *abſorptionem* (§. II.) expendimus, quatuor eiusdem ſpecies poſſumus conſtituere:

1). *Pri-*

1.) *Prima* vocari poteſt *vegetabilis*, quando ſcilicet corpus abſorbens eſt vegetabile. (§. II. no. 2.)

2.) *Altera* appellari meretur *mineralis*, quando corpus abſorbens eſt minerale quoddam (§. II. no. 2.)

3.) *Tertia* nuncupari ſolet *atmoſphaerica*, quando corpus abſorbens (§. II. no. 2.) eſt aër.

4.) *Quarta* nomine *animalis* inſignitur, quando nempe corpus abſorbens (§. II. n. 2) eſt corpus animale. Et de hac, quatenus in corpore fit humano, in ſequentibus ſermones texere conſtituimus.

§. IIII.

Quum vero *a*) omnia fere fluida, quae in corpore noſtro abſorbentur, iterum cum ſanguine commiſceantur, quod ex ſequentibus planum fiet, et quidem eum quoque in finem, vt proportio partium, ipſum conſtituentium, conſeruetur naturalis; *b*) varii morbi, variaque ſymptomata exoriantur, quando abſorptioni in his vel iſtis locis impedimentum ponitur, ſequitur, abſorptionem, in corpore noſtro fientem, actionem eſſe ad ſanitatis vitaeque conſeruationem omnino neceſſariam. Talis vero actio, quae ad ſanitatis vitaeque conſeruationem requiritur, vocatur naturalis, per conſequens abſorptionem

nem inter actiones naturales esse referendam manifesto tenetur. Differentiam tamen inter hanc absorptionem et alias actiones naturales deprehendimus potissimum in eo, quod, mediante hac, fluida ex sanguine iam secreta et etiam alia, vel cum ipso sanguine commisceantur, vel ad alia saltim corporis loca deferantur.

§. V.

Absorptio, quae in nostro fit corpore, habetur pro specie absorptionis (§. III.), et ideo de ipsa quoque valent ea, quae de absorptione in genere valent (per princ. log.). Quum vero absorptio, in genere considerata, requirat penetrationem fluidi ex adhaesione in caua alterius corporis (§. II.), idem de absorptione, quatenus in nostro absoluitur corpore, valere debere planum est. Haec autem caua, in quae fluida haec vel illa nostri corporis ex adhaesione primum, dum absorbentur, penetrant, in medicorum scholis vocari solent *vasa absorbentia, introtrahentia, inhalantia.* Exinde veritas fit explorata, omnem absorptionem in corpore nostro obtineri mediantibus vasis absorbentibus. (§. II.)

§. VI.

Ex his, quae paragrapho praecedenti diximus, sequen-

ſequentia legitime deduci perſpicuum eſt, et quaſi oculis iudicatur:

1.) organa, quorum ope abſorptio in noſtro perficitur corpore, omnes eſſe iſtas partes, quae vaſis inſtructae ſunt abſorbentibus;

2.) nullam fieri abſorptionem in corpore noſtro, niſi in illis locis, quibus in vaſa deprehenduntur abſorbentia;

3.) doctrinam de abſorptione, quae in noſtro peragitur corpore, minus rite intelligi poſſe, niſi quis habeat ſatis cognitam atque perſpectam veram vaſorum abſorbentium naturam.

Duo priora momenta non egent vlteriori explicatione, tertium vero omnino meretur, vt potiora, ad veram horum vaſorum naturam pertinentia, vberius eruamus atque diſtinctius proponamus.

§. VII.

Omnia noſtri corporis vaſa abſorbentia (§. praec.) duplicis ſunt generis, nimirum vel ſunt pori tantum, vel alia vaſa; ſi prius, vocantur *pori abſorbentes*, ſi poſterius, vocantur *vaſa abſorbentia* vel *reſorbentia ſtricte dicta.* Pororum abſorbentium naturam ex phyſicis vt cognitam ſupponimus; quapropter natura vera abſorbentium vaſorum ſtricte dictorum hic tantum eſt intimius indaganda, et quidem eo magis, quia per haec plurimae abſorptiones in cor-

 pore

pore noſtro perficiuntur. Satis luculenter autem veram horum dictorum vaſorum abſorbentium ſtricte dictorum naturam ſequentia declarant. Sunt nimirum haec vaſa:

1.) *Venae.* Quippe quum venarum officium ſit, humores a partibus verſus cor reducere; haec vero vaſa, quae abſorbentia ſunt, idem praeſtare ſoleant, id quod omnes, qui vaſorum abſorbentium noſtro in corpore exiſtentiam admittunt, ſine contradictione concedunt, ſequitur omnino, vaſa abſorbentia ad claſſem venarum, quibus noſtrum gaudet corpus, referri debere. Sunt vero

2.) Venae non-ſanguiferae. Omnes enim venae noſtri corporis ſunt vel ſanguiferae, vel non-ſanguiferae. Vaſa abſorbentia non ſunt venae ſanguiferae, quia requiſitis venarum ſanguiferarum deſtituta ſunt, ſequitur ergo, vaſa abſorbentia eſſe venas non-ſanguiferas.

3.) Haec vaſa abſorbentia ſunt referenda inter vaſa, quae in corpore deprehenduntur humano, capillaria. Vaſa enim noſtri corporis minima dicuntur capillaria; et quum vaſa abſorbentia omnino ſint vaſa minima, quia multis in locis nudis non poſſunt conſpici oculis, ſatis patet, haec iure meritoque vaſis capillaribus annumerari debere.

4.) Haec vaſa orificiis ſuis incipiunt in ſuperficie quadam partis cuiusdam ſolidae noſtri corporis, et hinc vel in ſuperficie corporis externa, vel in ſuperficie partis cujusdam internae.

5.) Dif-

5.) Differunt haec vaſa abſorbentia potiſſimum

a) *ratione loci.* Hunc ſi ſpectamus, diuiduntur in *externa* et *interna.* *Externa* vocantur ea, quae orificiis ſuis incipiunt in corporis ſuperficie. *Interna* vero audiunt omnia ea, quae orificiis ſuis incipiunt in ſuperficie caui cuiusdam noſtri corporis, vel alius partis internae.

b) *ratione ſubtilitatis* (per exper.). Sic v. gr. venae lacteae, quae ſunt vaſa abſorbentia, minus ſunt ſubtiles, quam vaſa abſorbentia pericardii.

c) *ratione capacitatis.* Aliis in locis ſunt anguſtiora, in aliis ampliora. Sic, verbi gratia, venae abſorbentes inteſtinorum tenuium ſunt anguſtiores, venis abſorbentibus inteſtinorum craſſorum, quod ſatis ſuperque teſtatur anatome.

d) *ratione valuularum.* Quaedam, vt vaſa lactea, habent valuulas, quaedam vero iisdem ſunt deſtituta. v. g. vaſa abſorbentia vteri.

e) *ratione grauitatis ſpecificae.* Aliam grauitatem ſpecificam habent v. gr. vaſa abſorbentia plexus choroidei, aliam vaſa abſorbentia iridis, aliam abſorbentia veſicularum ſeminalium.

6.) Pleraque habent connexionem vel mediatam vel immediatam cum venis ſanguiferis. Sic, vt exemplum adducam, vaſa lactea, mediante ductu thoracico, mediatam habent connexionem cum vena ſubclauia ſiniſtra, venae autem abſorbentes ventriculi connectuntur immediate cum vena portarum.

7.) Habent haec vaſa reſorbentia figuram conicam. Ibi enim, vbi in ſuperficie incipiunt, ſunt anguſtiora; ibi vero, vbi deſinunt, deprehenduntur ampliora.

8.) Pleraque arterias exhalantes, id eſt, tales arterias non-ſanguiferas, quae orificiis ſuis patent in ſuperficie huius vel iſtius partis noſtri corporis, habent comites. Tandem et

9.) omnia parietes habent elaſticos. Sunt enim vaſa (p. Phyſiol.).

SCHOLION I.

Dedita opera dictum fuit (n. 6.), pleraque tantum vaſa abſorbentia habere connexionem vel mediatam, vel immediatam cum venis ſanguiferis. Etenim vaſa quoque deprehendimus in corpore noſtro, quae, ſi vſum, quem praeſtant, ſpectamus, nomine etiam vaſorum abſorbentium inſigniri debent, quae vero nec mediate, nec immediate cum venis his, vel illis ſanguiferis cohaerent. Eiusmodi vaſa abſorbentia ſunt canaliculi lacrymales, quorum principia habentur ita dicta puncta lacrymalia.

SCHOLION II.

Quia vaſa abſorbentia noſtri corporis diuerſa gaudent ſubtilitate atque grauitate ſpecifica (§. 6. no, 5.), hinc patet, quod fluida, quae ab huius partis vaſis abſorbentibus poſſunt abſorberi, a vaſis abſorbentibus alius partis non poſſint abſorberi.

SCHOLION III.

Quaeſtioni: *An vaſa abſorbentia ſint ſemper principia vaſo-*

rum

rum lymphaticorum, in corpore humano occurrentium? numquam apte occurri poterit, nisi perpendamus diligentissime, vasa lymphatica triplici gaudere significatu. Intelliguntur enim sub his, vt WINSLOW *Expos. Anatom. traité de la tete §.* 598. accuratius monet,

1. ista vasa valuulosa pellucida, quae glandulas comitantur lymphaticas;
2. illa vasa pellucida, valuulis instructa, quae in diuersorum viscerum superficie reperiuntur, et
3. omnes arteriolae atque venulae adeo angustae, vt vix, nisi serosae massae sanguinis portioni transitum in statu naturali concedant.

Si in *primo* sumuntur significatu, vasa absorbentia non sunt semper vasorum lymphaticorum principia. Quippe dantur omnino partes, vbi adsunt vasa absorbentia, in quibus tamen neque vasa lymphatica adhuc sunt detecta, neque glandulae lymphaticae conspiciuntur. Secure id cerebrum demonstrat. In hoc enim sunt vasa absorbentia, nulla vero in eodem inueniuntur vasa lymphatica nullaeque glandulae. In *secundo* significatu si accipiuntur vasa lymphatica, negari quidem non potest, hic vel illic vasa absorbentia vasorum lymphaticorum esse principia, attamen minime in vniuersum idem poterit affirmari. Sic v. g. vasa lymphatica, in hepatis superficie occurrentia, et connexionem habentia cum poris bilariis, vasa ab-

ſorbentia non agnoſcunt pro principiis. *Tertium* ſi admittimus ſignificatum, tunc per ſe clarum eſt, venas abſorbentes non ſemper eſſe vaſorum lymphaticorum principia. Ex his ſimul fit manifeſtum, opinionem Cl. ALEXANDRI MONRO, in tract. *de venis lymphaticis valuuloſis*, Berolini 1757. 8. propoſitam, non eſſe veritati conſentaneam, ſi pag 52. propugnat, vaſa lymphatica valuuloſa per totum corpus venarum abſorbentium ſyſtema efficere. Patet ergo, venas abſorbentes quoad maximam partem ſyſtema vaſorum peculiare, a vaſorum lymphaticorum ſyſtemate diuerſum, conſtituere.

§. VIII.

His praemiſſis, noſtrarum omnino videtur eſſe partium, vt de quatuor momentis potiſſimum diſtincte atque articulatim vberius dicamus:

1.) ſcilicet variae eaeque primariae abſorptionum, in corpore noſtro fientium, ſpecies determinandae ſunt;

2.) neceſſe eſt, vt modus abſorptionis declaretur;

3.) vires, per quas abſorptio peragitur, inueſtigare annitemur; et tandem

4.) varios vſus abſorptionis, et quidem primarios, in medium adducere placet.

§. VIIII.

§. VIIII.

Quod ad primum attinet (§. VIII. n. 1.), ſatis commode, vt opinor, omnes abſorptiones, in corpore noſtro fientes, conſiderari poſſunt, aut *ratione materiae*, quae abſorbetur, aut *ratione loci*, in quo abſorptio fieri ſolet.

§. X.

Materiam ſi perpendimus, ratione huius (§. VIIII. omnis abſorptio eſt vel *ſecretoria*, vel *non - ſecretoria*. Illa, *ſecretoria* ſcilicet, habetur, quando materia, quae abſorbetur, fluidum eſt ex ſanguine ſecretum, cuius generis eſt abſorptio ſeminis, liquoris pericardii etc. Haec, *non - ſecretoria* nuncupari meretur, quando materia, quae abſorbetur, non eſt fluidum ſecretum, quo referas, vt exemplum afferam, abſorptionem chyli.

§. XI.

Locum ſi inueſtigamus, ratione huius (§. VIIII.) omnis abſorptio eſt vel *externa*, vel *interna*. *Externa* dicitur ea, quae fit ope vaſorum abſorbentium externorum, ſeu quae in cute inueniuntur. *Interna* vero dicitur ea, quae fit beneficio vaſorum abſorbentium internorum (§. VII. no. 5.). Haec vltima abſorptio ab aliis quoque vocatur *inhalatio*.

§. XII.

§. XII.

Has abſorptiones (§. X. XI.) recenſitas, ſpecialius conſideraturi, *primum* varias abſorptionis ſecretoriae (§. X.) ſpecies determinare; *dein* de variis abſorptionis non ſecretoriae ſpeciebus, et *tandem* de iis, quae ratione abſorptionis externae et internae notatu digna videntur, verba facere apud nos conſtitutum eſt (§. XI.).

§. XIII.

Prima abſorptionis ſecretoriae ſpecies eſt (§. X.) *abſorptio humoris aquei oculi.* Defertur nempe per arterias exhalantes (§. VII. n. 8.), quae tam in proceſſibus adſunt ciliaribus, quam in iride ſeu ſuperficie anteriori tunicae vueae, ad cauum globi oculi liquor pellucidisſimus, fluidiſſimus, qui nominatur humor aqueus. Hic humor, ſi quoad tempus et in camera oculi anteriori et poſteriori delituit, iterum abit, ne partim ob molem increſcentem, partim ob corruptionem, quam ſtagnando concipere poſſet, globo oculi noxas inferre poſſit. Viae potiores, per quas iterum abit, ſunt vaſa abſorbentia, quibus partim tunica vuea, inprimis iris, partim proceſſus ita dicti ciliares gaudent. Quod enim in oculo adſint vaſa abſorbentia, non experientia ſolum atque obſer-

obſeruationes *b*) dilucide probant, ſed et exinde cognoſci poteſt, dum nullae aliae viae, per quas hic humor abire queat, monſtrari poſſunt. Non ignoramus quidem, huius humoris portionem etiam per tunicae corneae poros tranſudare poſſe; aſt notum teſtatumque eſt, hos poros omnino quoque referri poſſe ad vaſa abſorbentia. Quod vero haec vaſa abſorbentia tam in iride, quam proceſſibus ciliaribus quam maxime quaerenda ſint, ex eo fit apertum, dum dictis in his locis vaſa eiusmodi minutiſſima, qualia debent eſſe abſorbentia (§. VII. n. 3.), magna in quantitate deprehenduntur, id quod omnes, qui anatomiam pertractant ſubtiliorem, vno fatentur ore.

§. XIIII.

Altera abſorptionis ſecretoriae ſpecies eſt (§. X.) *abſorptio fluidi iſtius ſubtilis, quod* in ſtatu ſano naturali inprimis coalitum durae atque piae matris impedit, quodque per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) durae et piae matris *defertur ad cauum, inter* has *meninges exſiſtens c*). Neutiquam enim a glandulis durae piaeque matris, vti nonnulli putant, ſecernitur,

C et

b) Vid. Perilluſtr. de HALLER in *praelect.* Tom. IIII. p. m. 183. 184.

c) KAAV *loc. cit.* §. 539. 541. 546.

et per ipſarum ductus excretorios ad hoc ducitur cauum. Interim quum eiusmodi fluidum in ſtatu naturali in hoc loco non colligatur, abeat neceſſe eſt. Et quum nullae aliae viae adſint, tuto concludimus, his in locis adeſſe debere venas abſorbentes, mediantibus quibus hocce abſorbetur fluidum, et ad ſanguinem venarum iugularium internarum atque vertebralium reducitur. Reuera autem tales venas abſorbentes adeſſe tam in dura, quam pia matre colligimus:

a) ex analogia. Quippe quum his in partibus adſint arteriae exhalantes, certe coniicimus, et venas praeſentes eſſe abſorbentes. Aliae enim partes, quae habent arterias exhalantes, venis quoque inſtructae ſunt reſorbentibus (§. VII. no. 8.).

b) ex hydrocephalo interno, et quidem iſta ſpecie, vbi ſerum collectum haeret inter duram piamque matrem. Morbum enim hunc, ceu experientia teſtatur, ipſa interdum ſanat natura, concurrente ſimul medico, qui medicamenta diſcutientia atque reſoluentia adplicat. Haec vero ſanatio numquam fieri poſſet, niſi talia adeſſent vaſa, quae lympham hic abſorberent ſtagnantem, ac deinde reducerent ad ſanguinem.

§. XV.

Tertia ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt

abſor-

absorptio roris istius subtilis, qui, *in cerebri ventriculis* repertus, impedit, quo minus partes his in locis positae inter se queant coalescere. Ros hic subtilis secernitur ex sanguine, ac deinde per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) maxime plexus choroidei ad ventriculorum horum caua defertur. Ne vero hocce fluidum subtile, quando in his ventriculis colligitur, cerebro noceat, quod partim ob molem increscentem, partim ob acrimoniam, qua inficitur, si diutius stagnat, fieri potest, in statu sano perpetuo iterum abit ad sanguinem. Obtinetur id ope venarum absorbentium, quibus plexus choroideus praeditus est primario. Quod vero in hoc vasa eiusmodi absorbentia adsint, praeter analogiam (§. VII. no. 8.) sequentia extra omne dubium ponunt experimenta:

I.) Immisimus siphonis satis subtilis ope decocti satis tenuis scordii tepidi portionem in truncum venosum plexus choroidei et portio huius decocti paulo post in conspectum venit in ventriculis cerebri lateralibus, id quod ex sapore satis tuto concludere licuit.

II.) Aqua tepida repleuimus ventriculos cerebri laterales, ac dein tubuli ope aerem immisimus in truncum venosum plexus choroidei, tunc in conspectum veniebant in aqua tepida affusa plures bullulae aereae.

§. XVI.

Quarta ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidi iſtius ſubtilis, quod in thoracis cauo reperitur*, cuiusque vſus primario in eo conſiſtit, vt partium, in thoracis cauo haerentium, tam inter ſe, quam cum pleura impediatur coalitus. Fluidum hocce ſubtile ſecernitur ex ſanguine, et dein per arterias exhalantes pleurae, pulmonum, pericardii (§. VII. no. 8.) defertur ad thoracis cauum *d*). Ne autem collectio fluidi huius ſubtilis, quippe quae ſanitati nociua eueniret, fieri poſſit, perpetuo in ſtatu naturali iterum per venas abſorbentes reuehitur ad ſanguinem. Quod vero hac partes thoracis et venas habeant abſorbentes, analogia non ſolum indicat (§. VII.), ſed et variae obſeruationes atque experimenta, quae, ne crambem bis coctam apponamus, repetere nolumus, ſatis ſuperque declarant).

§. XVII.

Quinta ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio liquoris pericardii.* Liquor hic ex ſanguine ſecretus tranſit per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.), quibus gaudet pericardium ipſumque cor, auricu-

d) KAAV loc. cit. §. 539. 540. 551. 561.

e) Vid. perill. DE HALLER *in element. phyſiol. tom. I. p.* 153.

auriculae, ſinus, vaſa maiora, ad cauum pericardii *f*). Dein, poſtquam munus ſuum, fibras cordis ſcilicet molles et flexiles conſeruando, coalitumque cordis cum pericardio impediendo, exſequutus eſt, abit iterum, ne per collectionem ſuam ſanitati inferat vim quamdam, et redit ad ſanguinem. Et hoc abſoluit iter, dum a venis abſorbentibus, quae locis in his haerent, abſorbetur. Quod vero vaſa abſorbentia in his dictis locis ſint praeſentia, liquido confirmat

a) analogia (§. VII. no. 8.).

b) curatio hydropis pericardii, quando ſcilicet haec, natura concurrente, abſoluitur a medico rationali.

c) experimenta varia, ab eruditis inſtituta *g*).

§. XVIII.

Sexta ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidi*, ſeu roris iſtius *ſubtilis*, qui in ſtatu ſano naturali adeſt *in abdominis cauo*, efficitque, ne viſcera, peritonaei ſacco incluſa vel inter ſe, vel cum ipſo peritonaeo concreſcant. Hoc fluidum, ex omnium phyſiologorum conſenſu, eſt fluidum ex ſanguine ſecretum. Ex variis propullulat locis, nimirum ad peritonaei cauum defertur per arterias ex-

 halan-

f) KAAV loc. cit. §. 668. ſeqq.

g) Vid. *perill.* DE HALLER loc. cit. p. 153. KAAV loc. cit. §. 703.

halantes (§. VII. no. 8.) ipſius peritonaei ac reliquorum viſcerum, peritonaei ſacco incluſorum; quatenus ſcilicet hae in ſuperficiebus harum partium enarratarum ſuis patent orificiis *h*). Quemadmodum autem perpetuo per arteriarum exhalantium orificia transſudat, ita quoque perpetuo iterum abit per vaſa abſorbentia, quibus praeditae ſunt hae partes recenſitae, quae arteriis gaudent exhalantibus. De vera autem exiſtentia vaſorum abſorbentium in his locis non eſt, quod dubitemus, quum experimenta et obſeruationes eadem extra omnem ponant controuerſiam. *i*.)

§. XVIIII.

Septima ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidorum ſecretorum, in ventriculo atque inteſtinis tenuibus confluentium.* Exempli loco ſit lymphae inteſtinalis abſorptio. Aut enim fluida, dictis in hisce locis confluentia, colliguntur, aut per anum abeunt, aut per alias vias, quae non ſunt vaſa abſorbentia, procedunt ex his locis, aut, ope vaſorum abſorbentium, cum ſanguine denuo commiſcentur. Prius, teſte experientia, non fit; alterum quoque locum inuenire non poteſt; alias enim aluus in ſtatu ſano

h) Vid. KAAV loc. cit. conf DE BERGEN in diſſert. *de perſpiratione viſcerum.*

i) Vid. *perill.* DE HALLER loc. cit. p. 153. KAAV loc. cit.

ſano naturali ſemper eſſet liquida; nec tertium congruit veritati, ex hac potiſſimum ratione, quia nullus anatomicorum eiusmodi demonſtrare valet vias. Per conſequens, venas abſorbentes haec fluida ad ſanguinem reducere, habetur pro certiſſimo. Duplicis autem generis ſunt vaſa abſorbentia, in quae fluida haec penetrant:

1. Huc referendae ſunt venae lacteae, de quibus infra pluribus agemus (§. XXXVII.).
2. Ea, quae orificiis ſuis incipiunt in apicibus villorum tunicae internae ventriculi atque inteſtinorum tenuium, et quae fluidum ſuum, quod abſorbent, tandem cum venae portarum ſanguine commiſcent. Caeterum argumenta, quibus harum venarum abſorbentium vera exiſtentia comprobari poteſt, ſaepius laudatus KAAV propoſuit exquiſite *k*).

§. XX.

Octaua ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio ſeminis maſculini, in veſiculis ſeminalibus haerentis.* Semen maſculinum ex veſiculis ſeminalibus iterum ad ſanguinem regredi, quando non excernitur, firmis euincitur argumentis.

1. In pueris omnia organa, quae ad ſeminis ſecretionem requiruntur, adeſſe ſatis notum eſt ex anatomia. Quum vero

k) loc. cit. §. 465. ſeqq.

vero in his ſubiectis ſemen non dum ſecernatur, ſequitur, fluidum ſaltim quoddam ſeroſum vel lymphaticum ex ſanguine, quem ad teſticulos vehunt arteriae ſpermaticae, ſeparari, quod poſtea ex teſticulis in epididymides, ex his in vaſa deferentia, et ex his in veſiculas ſeminales progreditur. Quippe ſi hoc non haberet locum, vaſa ſeminifera ſemenque ſecretum vehentia concreſcerent, quod tamen, experientia teſte, minime fieri ſolet. Hocce ergo fluidum ſecretum aut colligitur in veſiculis ſeminalibus, aut excernitur per vrethram, aut iterum redit ad ſanguinem. Prius reſiſtit et repugnat contra veritatem, quippe ſi fluidum ſecretum in veſiculis colligeretur ſeminalibus, tum ob molem ſucceſſiue increſcentem, tum ob corruptionem, in quam ſtagnando incideret, ſanitati poneret offendiculum. Alterum quoque deſciſcit a veritate longiſſime, dum experientia contrarium nos doceat dilucidiſſime. Ergo concludimus vere, tertium, ſcilicet quod hocce fluidum iterum deferatur ad ſanguinem, cum veritate conſentire.

2. Omnes veneri nimis indulgentes aliis procliuiores ſunt ad morbos, quorum cauſſa in ſpirituum animalium defectu atque humorum ſpiſſitudine quaerenda eſt. Ergo eiusmodi homines, qui venereo diſcruciantur amore, gaudere ſanguine, in quo partes ſubtiles ſpirituoſae magis ſunt in ſubdominio, tenetur manifeſto. Quia vero ſemen maſculinum ſanum eſt fluidum maxime

ſpiri-

ſpirituoſum, (per phyſiol.) argumentamur non ſine ratione, hunc defectum partium ſpirituoſarum in ſanguine et ab hoc dependentem ſpiſſitudinem exoriri quia in eiusmodi hominibus, qui veneri indulgent largius, parum vel nihil ſeminis redit ad ſanguinem.

Inter veritates ergo indubitatas referri meretur, ſemen maſculinum ex veſiculis ſeminalibus quando non excernitur, iterum regredi ad ſanguinem. Et exinde formamus concluſionem, aut peculiares ductus, hunc regreſſum producentes, adeſſe, aut vaſa abſorbentia. Prius quod attinet, nullus anatomicorum peculiares eiusmodi ductus demonſtrare potuit ad hunc vsque diem; ergo hunc regreſſum, mediantibus vaſis abſorbentibus, abſolui planum eſt.

§. XXI.

Quaeſtionem ſi quis proponeret: vbinam eiusmodi vaſa abſorbentia adſint? ſine dubio eadem ita eſſet decidenda: eadem incipere orificiis ſuis in ſuperficie interna veſicularum ſeminalium. Argumenta vero, quae theſeos huius veritatem ſatis luculenter declarant, haec ſunt:

1. analogia praeſentiam horum vaſorum abſorbentium indicat. Habent enim *a)* veſiculae ſeminales arterias exhalantes, conſequenter vt venae quoque adſint abſorbentes omnino neceſſe eſt (§. VII. no. 8.). *b)* Tuni-

ca, quae veſicularum ſeminalium ſuperficiem inueſtit internam, eſt villoſa *l*), et hinc ſimilis tunicae internae ventriculi atque inteſtinorum tenuium. Quum vero horum tunica villoſa gaudet vaſis abſorbentibus, vero ſimillimum eſt et tunicam veſicularum ſeminalium internam talia monſtrare.

2. Ope ſiphonis immiſimus aquam tepidam in venam hypogaſtricam, et penetrauit haec aqua vsque in veſiculas ſeminales, quod manifeſto eſt indicio, venas orificiis ſuis patere in cauum veſicularium ſeminalium, et hinc adeſſe venas abſorbentes.

SCHOLION.

Dictum experimentum (no. 2.) inprimis bene ſuccedit in eiusmodi ſubiectis, quae phthiſi mortua ſunt. In his enim vaſa magis vacua ſunt et caeteris paribus magis dilatabilia.

§. XXII.

Nona ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio liquoris articulorum.* Hic liquor conſtat partim ex fluido iſto, quod ſecernunt glandulae *Hauerſianae*, quae et ſunt conglomeratae, ac in articulorum cauis obſeruantur, et ſimplices inter ligamentorum fibras poſitae, partim ex oleo oſſium medulloſo, quod exſudat per poros cartilaginum, quibus oſſium articulantium ſuperficies ſunt obductae; partim

l) WINSLOW *Expoſit. anatomiqu. Traité du Bas - Ventre §.* 549.

tim ex fluido iſto ſubtili, quod per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) in locis his occurrentes, advehitur. Hoc fluidum, poſtquam ſuos praeſtitit vſus, iterum abit. In ſtatu enim naturali nulla ipſius ibidem fit coaceruatio. Ergo, vt aut ſenſibiles viae, per quas ipſius reditus peragitur, aut venae adſint abſorbentes, omnino neceſſitas requirit. Quum autem prius, teſte experientia, locum habere non poſſit, poſterius cum veritate conſentire et hinc liquorem articulorum a venis partium contiguarum abſorbentibus abſorberi claris argumentis ſignisque lucet, praeſertim quum harum praeſentiam analogia quoque doceat manifeſto (§. VII. no. 8).

§. XXIII.

Decima ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio pinguedinis*, ſeu adipis, quae, ex ſanguine ſecreta ad cellulas ſeu ſacculos membranae celluloſae vel adipoſae per vaſcula ad haec caua patula aduehitur. Hoc fluidum ſecretum varios admodum, vti phyſiologi docent, in noſtro corpore producit vſus. Abſolutis vero his, iterum abit ad ſanguinem. Si enim ſubſiſteret in loco calido, corruptio exoriretur, et ſanitas veniret in periculum. Quum ergo nullae aliae viae ſenſibiles detectae ſint,

recte concluditur, pinguedinis partes ope venarum abſorbentium iterum reuehi ad maſſam ſanguineam. Praeſertim quum et argumenta omni exceptione maiora veram ipſarum exiſtentiam in his locis indicent *m*).

SCHOLION.

Quum, teſte experientia, celluloſa quarumdam partium, v. g. penis, nunquam habeat pinguedinem in ſtatu naturali (Vid. B. S. ALBINI *academ. ann. libr.* II. p. 153.) probabile eſt, aliud quoddam fluidum ſubtile in cauernulas eiusmodi celluloſae deponi per arterias exhalantes, quod dein quoque ope vaſorum abſorbentium ad ſanguinem denuo reducitur.

§. XXIIII.

Vndecima ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio partium ſubtiliorum bilis cyſticae.* Haec abſorptio talem producit effectum, quo bilis cyſtica ſpiſſior acrior ſit atque amarior bile hepatica. Quod autem abſorptio quaedam partium ſubtiliorum lymphaticarum hic fiat actu, docet vaſorum abſorbentium praeſentia, quae perſpicua redditur ex hisce rationibus:

1. Veſicula fellea habet arterias exhalantes (§. VII. no. 8.), quae

m) Vid. KAAV loc. cit. §. 799. ſeqq. Perilluſtr. *de* HALLER in element. phyſiol. p. 40. ſeqq.

quae orificiis ſuis ad veſiculae felleae cauum patent (per Anatom. ſubtil.). Vbi vero hae reperiuntur, ibi venae quoque abſorbentes adſunt (§. VII. no. 8.).

2. Si ope ſiphonis ſatis ſubtilis aqua mittitur tepida in venam cyſticam, eadem vsque ad veſiculae felleae cauum penetrat (per exper.).

§. XXV.

Duodecima abſorptionis ſecretoriae ſpecies eſt (§. X.) *abſorptio adipis, quae in cellulas omenti magni, parui, appendicum epiploicarum, nec non meſenterii per arterias exhalantes* (§. VII. no. 8.) *effunditur.* Hoc pingue ad ſanguinem venae portarum ducitur, eo quidem fine, vt ſatis aptus ſit, quo ex ipſo bilis ſecretio fieri poſſit. Quum vero alii ductus ab anatomicis nec detecti ſint, nec detegi queant, tuto argumentamur, venas adeſſe abſorbentes, quarum beneficio hoc abſoluitur negotium. Rationes, quibus venarum abſorbentium exiſtentia in his locis ſatis clare confirmatur, perill. *de* HALLER recenſuit doctiſſime. *n*).

§. XXVI.

Decima tertia ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidi iſtius ſubtilis ſeroſi ſeu lym-*

n) Prim. lin. phyſiol. §. 602.

phatici, quod per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) *vteri ad huius defertur cauum*, quodque potiſſimum parietum vteri coalitum impedit. Hocce enim fluidum ſe in vtero non coaceruat, ſed eiusdem pars abit per internum vteri orificium, reliqua vero, et quidem maxima a venis abſorbentibus, quae ſuis orificiis incipiunt in vteri ſuperficie interna ſeu iſta, quae caui vteri efformat ſuperficiem, abſorbetur. Eiusmodi venas in vtero abſorbentes adeſſe, claro indicio ſunt:

1. analogia; (§. VII. no. 8.).
2. materia putrida, in vtero haerens, quae, teſte experientia, ex vteri cauo transferri poteſt ad ſanguinem. Si enim putridum, quod oritur, quando v. g. vterinae placentae portio poſt partum remanet, et in corruptionem abit, interdum ſanguinis efficit fuſionem, ſequitur, materiam hanc neceſſario, ope vaſorum abſorbentium, duci debere ad ſanguinem.
3. experimenta. Sic, vt rem exemplo illuſtrem, decoctum tenue ſcordii tepidum, ope ſiphonis in venam miſſum hypogaſtricam, penetrauit vsque ad vteri cauum; eamdem ingreditur viam aer, per dictam venam miſſus, pulſus enim fuit vsque ad vteri cauum.

SCHOLION.

Quia ergo vterus habet vaſa abſorbentia, credibile eſt, quod tempore coitus foecundi pars ſeminis maſculini ſub-

tilis

tilis ſpirituoſa etiam a venis vteri abſorbentibus abſorbeatur, et cum ſanguine commiſceatur.

§. XXVII.

Decima quarta ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidi iſtius ſubtilis, quod per arterias exhalantes* (§. VII. n. 8.) *in tubarum Fallopianarum cauum patulas, defertur, et quod coalitum parietum harum tubarum impedit.* Hoc enim in ſtatu naturali non colligitur, abeat ergo iterum ad ſanguinem omnino neceſſe eſt. Quum vero nullae aliae viae inueſtigari poſſint, tuto concludimus, etiam in his locis adeſſe venas, quae eiusmodi abſorbent fluidum, et ad ſanguinem reuehunt (§. VII. no. 8.). Fortaſſe pars quaedam etiam ex tubis ad cauum vteri abit, vbi dein a venis vteri abſorbentibus abſorbetur.

§. XXVIII.

Decima quinta ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio fluidi ſubtilis ſeroſi vel lymphatici, quod per arterias exhalantes* tunicae vaginalis teſticuli, nec non per arterias exhalantes (§. VII. n. 8.), quae orificiis ſuis deſinunt in ſuperficie externa tunicae albugineae teſticuli *ad caueam, quae reperitur inter tunicam vaginalem atque albugineam teſticuli, deponitur,* et quidem eum in finem, vt nulla tunicae vaginalis

ginalis cum albuginea possit fieri concretio. Quum vero hoc fluidum in statu naturali non colligatur in hac cauea; alias enim omnes ac singuli mares laborare deberent hydrocele, recte coniici potest, fluidum hoc iterum abire ex cauea, et quum nullae aliae detegi queant viae, venis absorbentibus, quae his in locis inueniuntur praesentes, idem officium adscribere cogimur. Nec deficiunt rationes, quibus ad eiusmodi venas absorbentes assumendas mouemur. Harum enim existentiam probant,

1.) analogia (§. VII. n. 8.).

2.) curatio herniae spuriae, quae hydrocele vocatur, quatenus absoluitur tantum per medicamenta discutientia et resoluentia o).

§. XXVIIII.

Decima sexta species absorptionis secretoriae (§. X.) est *absorptio fluidi istius blandi, tenuis, quod in capsis vel thecis, quibus gaudent hi vel isti musculorum tendines, reperitur*, et quod has oblinit partes, vt sic motus, quatenus attritus impeditur, eo magis facilitetur. Hoc fluidum ad secretorum classem referri debere, nullus est, qui dubitat. Quum vero nulla peculiaria organa in his locis secretoria indicari queant,

o) Vid. b. HEISTERI differt. *de hydrocele*, §. 34.

queant, conclusio enascitur, hoc fluidum per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) pelli ad dicta loca ex sanguine. Iam vero fluidum recensitis his in thecis aut accumulatur, aut non? Prius in statu naturali fieri non solet, ergo posterius omnino credendum est. Dum autem nulli peculiares ductus reuehentes hic adsint maiores, maxime credibile est, potissimum si in subsidium simul vocamus analogiam (§. VII. no. 8.), hic quoque adesse venas absorbentes, quae hoc, vt ita loquamur, tendinum linimentum absorbent, vt iterum illius miscela cum ipso contingere queat sanguine.

§. XXX.

Decima septima species absorptionis secretoriae (§. X.) est *absorptio succi neruorum.* Neutiquam vero sub eiusmodi succo intelligimus liquidum nerueum, quod in ipsis neruorum cauis reperitur, sed istud potius fluidum subtile, quod in neruorum capsis vel vaginulis haeret *p*), cuiusque vsus primarius in eo consistit, vt coalitus vaginulae cum ipso neruo impediatur, ipsiusque nerui decens conseruetur mollities. Hoc fluidum ex sanguine secerni, veritas est, quae pro certa sumi debet. Quum vero

 nulla

p) Vid. DE GORTER *Chirurg. repurg.* p. 176.

nulla peculiaria organa ſecernentia hic occurrant, nec poterit in dubium vocari aſſertum, per arterias exhalantes (§. VII. no. 8.) exſudare hoc fluidum, et poſtea a venis abſorbentibus, quae in his locis praeſentes deprehenduntur, iterum abſorberi, vt ſic reddi queat ſanguini. Praeſentiam venarum abſorbentium his in locis vero ſimilem reddunt quam maxime

1.) analogia (§. VII. no. 8.).
2.) fabrica vaginularum. Sunt enim hae durae atque piae matris continuationes (per anatom.), quae omnino vaſis gaudent abſorbentibus (§. XIIII.).

§. XXXI.

Decima octaua ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio olei medulloſi*, quod partim lubricationi, partim flexilitati oſſium inſeruit. Secernitur hoc oleum medulloſum ex ſanguine arterioſo (§. VII. n. 8.), et poſtea colligitur in veſiculis, in celluloſa oſſium parte diſperſis, vel in iisdem in medulla aggregatis. Eadem gaudet indole, qua adeps praeditus eſt in panniculo adipoſo (§. XXIII. XXV.). Quem ad modum igitur adeps ex panniculo adipoſo iterum abit ad ſanguinem (§. XXIII. XXV.); ita quoque hoc oleum medulloſum iterum ad ſanguinem

reue-

reuehitur. Et hoc maxime erat neceſſum. Subſiſtentia enim ipſius oſſis ſubſtantiae maximum afferret nocumentum. Nec deſunt argumenta, quibus olei huius medulloſi regreſſus ad ſanguinem ſatis diſtincte comprobatur. Inter haec primarium occupat locum, quando edocemur experientia, per motus corporis vehementiores, nec non per inediam medullae quantitatem imminui. Quodſi ergo hoc oleum medulloſum ad ſanguinem regreditur, neceſſe omnino habemus concludere, vias, per quas eiusmodi perficitur regreſſus, abſolute adeſſe debere. Hae autem ſunt vel venae abſorbentes, vel aliae viae. Alias vias non adeſſe, experientia docet, per conſequens hoc oleum per venas abſorbentes iterum reduci ad ſanguinem manifeſto tenetur. Hae autem venae abſorbentes, quae hic occurrunt, duplicis ſunt generis:

1.) Eae, quae articulorum liquorem abſorbent. Oleum enim medulloſum conſtituit partem liquoris articulorum (§. XXII.).

2.) Eae, quae incipiunt in ipſis veſiculis, in celluloſa oſſium parte diſtributis.

§. XXXII.

Decima nona ſpecies abſorptionis ſecretoriae

 (§. X.)

(§. X.) eſt *abſorptio partium ſubtiliorum iſtorum fluidorum, quae ad caua folliculorum glanduloſorum, hinc inde in corpore diſtributorum, veſicularia ex ſanguine ſecreta deponuntur.* Etenim varia eiusmodi fluida, quando per horum folliculorum ductus excretorios exeunt, magis ſunt ſpiſſa, id quod v. g. fluidum, ad caua veſicularia folliculorum glanduloſorum, in facie diſperſorum, depoſitum indicat. Spiſſitudinem hanc aut ſecretionis tempore iam habuerunt, aut eamdem poſtea demum ſunt conſecuta. Prius pro falſo declarari debet, quia, rebus ſic ſtantibus, plane non poſſent ſecerni. Ergo neceſſum eſt, vt haec ſpiſſitudo demum, ſecretione peracta, exoriatur, dum partes abeunt ſubtiliores, craſſiores vero remanent quoad tempus adhuc in cauo veſiculari. Poſcit ergo neceſſitas, vt viae, per quas hae partes procedunt ſubtiliores, adſint. Vna harum viarum eſt ipſe ductus excretorius eiusmodi folliculi glanduloſi, ſed haec ſola propter nimiam anguſtiam, quae partium ſubtiliorum difflationi potius eſt impedimento, nam ſuperficies, vbi fit tranſitus, eſt minor, non ſufficit; ergo, alias quoque adeſſe vias, firmiter adſeuerare non dubitamus. Hae vero ſunt venae abſorbentes, quae in caui veſicularis ſuperficie nobis incipere viden-

dentur orificiis ſuis, et tales partes ſubtiliores imbibunt, ac deinde iterum ſanguini tradunt venoſo (§. VII. no. 8.).

§. XXXIII.

Vigeſima ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio lacrymarum.* Licet quidem harum lacrymarum pars ab aere ambiente auferatur; attamen nec infitiari poterit, magnam ipſarum quoque portionem iterum abſorberi. Sunt enim

1.) canaliculi lacrymales, quorum principia puncta lacrymalia habentur, omnino ex claſſe vaſorum abſorbentium (§. VII. Schol.);

2.) Palpebrarum ſuperficies, quae oculos ſpectat, multis etiam eſt obſita venarum abſorbentium orificiis. Teſte enim anatomia ſubtiliori, adſunt in hac ſuperficie arteriarum exhalantium (§. VII. no. 8.) orificia, per quae fluidum ſubtile, lacrymarum partem conſtituens, in ſtatu naturali tranſudat continuo. Vbi vero arteriae exhalantes, ibi venae abſorbentes (§. VII. no. 8.).

§. XXXIIII.

Vigeſima prima ſpecies abſorptionis ſecretoriae (§. X.) eſt *abſorptio liquoris amnii in grauidis.* Experientiam habemus teſtem, hunc amnii liquorem circa vltimos grauiditatis menſes ratione quantitatis

decrescere, ex quo concludimus, huius liquoris portionem ex cauo, cui est inclusus, abire. Re sic se habente, aut ad foetum abire debet, aut aliae adsint viae necesse est. Ad foetum vero abire non potest; quippe si ad hunc abiret, aut foetus ipsum liquorem deglutire, aut liquor per vasa absorbentia, in cutis superficie incipientia, penetrare deberet. Sed nec a foetu deglutitur, nec a vasis absorbentibus foetus cutaneis absorbetur. Illud nihil est, foetus enim in vteri cauo haerens, non potest deglutire *q*); nec huius ratio est habenda, quum externarum venarum foetus absorbentium orificia a muco, cutis superficiei adhaerente, sint occlusa. Per consequens aliae viae adesse debent, per quas reuehitur hic liquor. Hae viae aut sunt venae absorbentes, quibus gaudet amnion, aut aliae. Alias nondum habemus cognitas, per consequens palam fit, huius liquoris portionem absorberi ab ipsis amnii venis absorbentibus. Nulla enim alia prostat pars, cuius beneficio perfici posset eiusmodi absorptio.

§. XXXV.

Vltima absorptionis secretoriae (§. X.) species est *absorptio partium subtilissimarum atque aquosarum vrinae*

q) Vid. b. HAMBERGERI *Physiol.* §. 1535.

vrinae, in vesica vrinaria haerentis. Quod enim vesica vrinaria vrinae partem absorbeat, ex vasis absorbentibus, quae adsunt, et quae orificiis suis incipiunt in vesicae vrinariae facie interna, satis dilucide cognoscitur. Harum vero venarum absorbentium praesentiam exinde deducimus, quia

1.) vesica vrinaria arterias habet exhalantes (§. VII. no. 8.), quarum ope mucus, faciem vesicae internam oblinens, aduehitur (§. VII. no. 8.).

2.) tunica vesicae interna magnam habet conuenientiam cum tunica ventriculi atque intestinorum villosa, quae etiam venas habet absorbentes (§. XVIIII.);

3.) ex propria obseruatione propugnare possumus, aquam tepidam, ope siphonis in venam hypogastricam missam penetrare vsque ad vesicae vrinariae cauum. Addi simul possunt ea, quae habet KAAV (r).

§. XXXVI.

Expositis, quae ratione secretoriarum absorptionum notatu digna fuere visa (§. XIII. seqq.); nunc rem vlterius persequendo, de variis absorptionis non - secretoriae speciebus (§. X. XII.) agere animus est. Haec absorptio non - secretoria in genere iterum duplex est, vel *chylosa*, vbi scilicet fluidum, quod absorbetur, potissimum chylus; vel *non - chylosa*, vbi materia, quae absorbetur, non est chylus, sed alia

mate-

r) *loc. cit.* §. 492.

materia v. g. particulae ſalinae, vel ſalino-ſulphureae in aëre haerentes etc.

§. XXXVII.

Quod abſorptionem chyloſam attinet (§. praeced.), hanc in inteſtinis tenuibus, quae ſunt chylificationis organa, peragi liquet. Sunt vero haec vaſa chylum abſorbentia duplicis generis:

1.) ita dicta vaſa lactea primi generis. Habent enim haec omnes vaſis abſorbentibus competentes characteres (§. VII.), ſimulque orificiis ſuis incipiunt in apicibus villorum tunicae internae, ſeu villoſae inteſtinorum tenuium *f*).

2.) Huc pertinent venae abſorbentes, quae etiam orificiis ſuis incipiunt in villorum apicibus, de quibus ſupra dictum fuit (§. XVIIII.). Hae potiſſimum partes chyli ſubtiliores tantum abſorbent, et ad venae portarum remittunt ſanguinem. Veritatem huius aſſerti laudatus KAAV ſatis euidentibus demonſtrauit argumentis *t*).

§. XXXVIII.

Abſorptionum non-chyloſarum iterum variae in noſtro corpore occurrunt ſpecies (§ XXXVI.). Inprimis hae differunt, prouti loca, vbi eiusmodi contingit abſorptio, differre ſolent. Sunt vero haec loca potiora ſequentia: 1. ſuper-

f) Vid. b. LVBERKVHN *de fabrica et actione villorum inteſtinorum tenuium*, Lugdun. 1745.

t) *loc. cit.* §. 466. 467. ſqq.

1.) ſuperficies cutis;
2.) tunica pituitaria SCHNEIDERI;
3.) tota ſuperficies caui oris;
4.) facies totius canalis alimentarii nimirum oeſophagi, ventriculi atque inteſtinorum interna;
5.) facies laryngis, aſperae arteriae, bronchiorum atque veſicularum pulmonalium Malpighianarum interna;
6.) facies vrethrae interna, et tandem
7.) facies vteri eiusque vaginae interna.

§. XXXVIIII.

In cutis ſuperficie (§. praec. no. 1.) fieri abſorptionem, nemo poterit infitiari, qui conſiderationem intendere cupit in argumenta Perill. DE HALLER, u) Cl. KAAV, x) aliorumque ſatis euidentia. Sunt interim nonnulli, qui, licet hanc abſorptionem, in cute fientem, admittunt, ſimul ſibi perſuadent, eamdem non peragi ope peculiarium venarum abſorbentium, ſed tantum mediantibus ipſis arteriis exhalantibus cutaneis (§. VII. no. 8.). Verum hanc opinionem veritati minus eſſe conformem, ex ſequentibus perſpicuum eſt argumentis. Etenim

1.) hae arteriae ſemper ſunt repletae, et exinde reſiſtentia ſufficiens, motum talem impediens, omnino oritur;

F 2.) arte-

u) *Comment. ad Boerhauii inſtit.* Tom. III. §. 416.
x) *loc. cit.* §. 422. 423. ſqq.

2.) arteriae exhalantes (§. VII. no. 8.) connexionem habent cum arteriis ſanguiferis. Si igitur particulae, quae abſorbentur in cute, in arterias penetrarent exhalantes, tandem neceſſario etiam abire deberent in arterias ſanguiferas. Quum vero in his impetus multo maior ſit, quam vt tales admitti poſſent partes, eiusmodi effici non poteſt abitus.

3.) Cum aliis in locis, vbi ſunt arteriae exhalantes, reperiantur quoque venae abſorbentes, ſane non comprehendimus, cur eiusmodi fabrica ratione cutis nullum debeat inuenire locum.

§. XXXX.

Abſorptionem quoque fieri in narium concauo, et quidem vaſorum abſorbentium, quibus gaudet tunica pituitaria SCHNEIDERI, beneficio (§. XXXVIII. no. 2.) partim argumenta, a Cl. KAAV y) in medium prolata, partim experimentum, ab HALESIO inſtitutum, z) ſatis dilucide comprobant.

§. XXXXI.

In cauo oris abſorptionem fieri docent rationes, quae, in tota caui oris ſuperficie adeſſe venarum abſorbentium orificia (§. XXXVII. no. 3.), confirmant. Id enim docet: 1.) ana-

y) *loc. cit.* §. 449. 450. ſqq.

z) Vid. *Haemoſt.* p. 117.

1.) analogia. Adſunt enim arteriae exhalantes (§. VII. no. 8.).

2.) inebriatio cita, quae fieri ſolet, quando potulenta ſpirituoſa hauriuntur ex eiusmodi vitris, quae vulgo *Florus-Glæſer* vocantur, quorumque extremitas aperta toti immittitur ori *aa)*.

3) inebriatio citior, quando potulenta ſpirituoſa in ipſis cellis, quibus in aſſeruantur, in minori etiam quantitate bibuntur. Haec enim inebriatio partim ob aerem, particulis eiusmodi ſpirituoſis impraegnatum, et magis calidum, in eiusmodi cellis praeſentem, partim, quia venae abſorbentes in ore praeſentes partes potus ſpirituoſas magisque ſubtiles cito ad ſanguinem vehunt, euenire ſolet.

§. XXXXII.

Quod in tota facie canalis alimentarii interna quoque fiat abſorptio aliarum partium, quae non ſunt partes ſecretae (§. XXXVII. no. 4.), id nobis ante oculos ponunt vaſa abſorbentia, quae in his locis ſunt praeſentia. Gaudet ſcilicet vaſis abſorbentibus

1.) oeſophagus. Adſunt enim arteriae exhalantes, ergo et abſorbentes venae (§. VII. no. 8.). Imo praeſentiam venarum abſorbentium etiam declarat fabrica tunicae internae huius canalis, quae eadem eſt cum fa-

F 2 brica,

aa) Vid. KAAV. *loc. cit.* §. 441. ſqq.

brica tunicae villosae ventriculi, intestinorum tenuium (per princ. Anatom.).

2.) ventriculus (§. XVIIII.).

3.) intestina tenuia (§. cit.), et

4.) intestina crassa. In his scilicet intestinis crassis venas quoque absorbentes adesse, attestatur:

a.) vsus clysterum nutrientium;

b.) vsus egregius, quem clysteres refrigerantes in febribus exhibent acutis;

c.) vasa lactea quarti generis, quae interdum in hoc vel illo reperiuntur subiecto.

SCHOLION.

Ex his simul comprehendimus nostra cognitione, *a*) vias, per quas medicamenta, per os adsumta, veniunt ad sanguinem, duplicis esse generis, vasa videlicet lactea atque venas absorbentes in ore, faciei interna oesophagi, ventriculi atque intestinorum tenuium praesentes; *b*) cur quaedam medicamenta, interne adplicata, suum in corpore producant effectum salutarem citissime.

§. XXXXIII.

Porro absorptionem quoque fieri in superficie laryngis, asperae arteriae, bronchiorum atque vesicularum pulmonalium interna (§. XXXVIII. no. 5.) docet non analogia solum (§. VII. no. 8.), quia sci-

liceet

licet adſunt arteriae exhalantes, ſed et idem firmant experimenta omni exceptione maiora *bb*).

§. XXXXIIII.

Tandem eiusmodi abſorptionem quoque fieri in vrethra et vtero eiusque vagina (§. XXXVIII. no. 6. 7.) tam analogia (§. VII. no. 8,), quam morbi venerei, qui oriuntur, quando coitus cum corpore, a miaſmate venereo iam infecto, inſtituitur, nos nducunt ad credendum.

SCHOLION.

Simul exinde perſpicimus 1) varias partes internas, ventriculum nempe, veſicam, inteſtina etc. tam in ſua ſuperficie externa, quam interna habere orificia venarum abſorbentium patula. (§. XVIII. XXXXII.) 2) ab vna eademque parte ſaepe fieri et abſorptionem ſecretoriam (§. X.) et non - ſecretoriam (§. cit.) Sic v. g. in inteſtinis tenuibus et abſorptio ſecretoria (§. XVIIII.) et non ſecretoria (§. XXXXII.) peragitur.

§. XXXXV.

Ex hactenus recenſitis (§§. praeced.) facile nunc erit collectu, quaenam abſorptiones externae (§. XXXIII. XXXVIIII. XI.), quaenam vero internae adpellitandae ſint (§. XIII - XXXVIII. XXXX. ſeqq.) et (§. II.).

bb) KAAV. *loc. cit.* §. 452. ſqq.

§. XXXXVI.

Progredimur ad nouum argumentum a nobis expediendum (§. VIII. no. 2.), ſcilicet ad *modum abſorptionis.* Peragitur modus eadem ratione, qua confici ſolent filtrationes in chymicis. *cc*). Quippe ſicuti in filtro chymico fluidum penetrat per ipſius poros, qui inſtar vaſorum capillarium conſiderari poſſunt, ex adhaeſione; ſic fluida etiam, quae abſorbentur, ex adhaeſione penetrant in venas abſorbentes, tanquam in vaſa capillaria (§. VII. no. 3.).

§. XXXXVII.

In numerum virium, quarum ope abſoluitur in corpore noſtro abſorptio (§. VIII. no. 3.), referendae ſunt:

1.) adhaeſio, quae ſane eſt vis primaria (§. II.). Nam quando fluidum quoddam penetrat in vas capillare vel ob vim externam prementem praeſentem penetrat, vel ob adhaeſionem (per Princ. Phyſica). Atqui in hoc caſu nulla vis externa premens ſufficiens adeſt; ergo penetratio ex adhaeſione fiat neceſſe eſt.

2.) Figura conica, qua pleraque gaudent vaſa abſorbentia (§. VII. no. 7.). Quum enim in his fluidum moueatur ab apice verſus baſin, et praeterea ex phyſicis notum ſit

cc) b. HAMBERGERVS in *Phyſiol.* §. 428.

ſit *dd*), fluidum, ſi mouetur per canalem conicum ab apice ad baſin, moueri circa apicem velociſſime, lentiſſime vero circa baſin, patet omnino, hanc figuram conicam quid conferre, vt hic motus per vaſa abſorbentia magis perficiatur.

3.) Vires circulationis. Teſte enim experientia abſorptio creſcit et decreſcit proportionaliter ad circulationis vires. Hinc tempore veſpertino abſorptio eſt minor, quia vires circulationis ſunt minores.

4.) Decens apertura venarum ſanguiferarum, quibuscum connexionem habent venae abſorbentes (§. VII.). Nam ex compreſſione venarum oritur abſorptio impedita *ee*). Hinc in grauidis interdum bubones inguinales ob compreſſionem venarum iliacarum.

5.) Elaſticitas, qua fibrae parietum vaſorum abſorbentium exornatae ſunt (§. VII. no. 9.). Variis in locis motum hunc ſimul adiuuant et promouent

6.) alternantes preſſiones viſcerum inter ſe inuicem durante reſpiratione; motus arteriarum ſanguiferarum adiacentium; motus oſſium, muſculorum, valuulae praeſentes, etc.

SCHOLION.

Fortaſſe etiam decens flexilitas venarum ſanguiferarum aliquid contribuit, vt abſorptiones eo felicius in corpore

dd) Cel. VAN MVSSCHENBROEK *Elem. Phyſic.* §. 636.

ee) Perill. DE HALLER *Elem. Phyſiol.* p. 167. ſeqq.

pore noſtro peragantur. Etenim canales flexiles facilius queunt impleri, dum faciliori expanduntur niſu, quia minor adeſt parietum reſiſtentia. Quum ergo venae ſanguiferae, connexionem cum abſorbentibus venis habentes, ſatis ſunt flexiles, facilius expanduntur, et hinc fit, vt fluidum abſorptum in eas penetrare poſſit eo facilius.

§. XXXVIII.

Tandem, vt promiſſis ſatisfaciamus, proponenda ſunt nonnulla, quae abſorptionis vſum reſpiciunt (§. VIII. no. 4.). Hic varius et multiplex habetur, differtque potiſſimum, prouti ipſae differunt abſorptiones. Ne limites diſſertationis medicae transgrediamur, potiores tantum in medium adferre placet:

1.) Primus isque palmarius abſorptionis vſus in eo deprehenditur, quod, mediante eadem fiat partium amiſſarum reſtitutio; id quod patet ex abſorptione chyloſa (§. XXXVII.) aliisque abſorptionis ſpeciebus (§. XIII. ſeqq.); et hinc

2.) abſorptio etiam inſeruit corporis nutritioni, quippe quae partium amiſſarum reſtitutionem ſupponit (per phyſiol.);

3.) proportio quoque partium, ſanguinem conſtituen-

tium

tium, ope abſorptionum, in corpore noſtro fientium, naturalis conſeruatur, quia partes amiſſae reſtituuntur.

4.) per fluida ſeroſa, quae per abſorptionem reuehuntur ad ſanguinem (§. XIII. ſqq.), nec non per oleum medulloſum, quod ex oſſibus redit ad ſanguinem (§. XXXI.), item ex adipe, qui per venas abſorbentes reducitur ad cor (§. XXIII.), acrimonia, per ſanguinis circulum in ipſo exoriens, et quae ſanitati noxam adferret, temperatur, vt ſic ſanguis in ſtatu ſano ſemper permaneat fluidum ſatis blandum.

5.) mediante abſorptione quaedam fluida ſecreta magis apta fiunt, vt ea, quae praeſtanda habent, in ſtatu ſano rite efficere queant; id quod ex illa abſorptionis ſpecie, quae per venas veſiculae felleae abſorbentes peragitur, planum fit atque apertum (§. XXIII.).

6.) Abſorptionis ope decens fluiditas ſanguinis et calor ſufficiens corporis noſtri conſeruatur. Calor enim ſemper requirit ſufficientem partium ſulphurearum in ſanguine quantitatem, et haec per pinguedinis abſorptionem (§. XXIII. XXXI.) et olei medulloſi conſeruatur. Sanguinis vero fluiditas decens poſtulat ſufficientem ſeri quantitatem, et haec per abſorptiones obtinetur ſeroſas (§. XIII. ſeqq.).

7.) Variis in locis abſorptio etiam efficit, vt harum vel

iſtarum partium decens maneat in ſaluo mollities (§. XXX.).

8.) Reſolutio humorum, quae fieri debet in ſtatu ſano, per abſorptionem magis promouetur. Namque (*a*) per abſorptionem partes ſubtiliores reſoluentes, vt ſpirituoſae (§. XVIIII.) in maiori quantitate redeunt ad ſanguinem; (*b*) partes ſeroſae ſubtiliores, quae ſalia ſoluunt, et ſic actiua magis reddunt, in maiori quantitate iterum commiſcentur cum ſanguine.

9.) beneficio abſorptionis humores ad ſecretiones futuras magis redduntur idonei. De hoc potiſſimum indicium facit abſorptio olei, quod ab omento ducitur per venas abſorbentes ad ſanguinem venae portarum, vt ex ipſo ſufficiens fieri poſſit bilis ſecretio (§. XXIIII.).

Et hi ſunt praecipui abſorptionis et ſane ſufficientes vſus, qui adhuc magis extra omnem ponere poſſunt controuerſiam, abſorptionem eſſe actionem ad ſanitatis conſeruationem quam maxime neceſſariam (§. IIII.).

FINIS.

NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
DOMINO
DOCTORANDO
S. P. D.
CAROLVS FRIDER. KALTSCHMIED.

Post exantlatos tandem ſtrenue labores academicos patrios repetis lares, fructus diligentiae ac vitae academicae laudes expectaturus. Gratulor TIBI fata proſpera in anteceſſum ac honores in arte medica mox capeſſendos ſummos, TIBIque virium et corporis et animi conſtantiam in ſeros vsque annos animitus apprecor. Vale. Ienae die 28. Mart. CIↃ IↃ CCLX.

PRAENOBILISSIMO

ATQVE

DOCTISSIMO

ARTIS SALVTARIS

DOCTORANDO

S. P. D.

PRAESES.

Omnibus TIBI hodie applaudentibus, ego inter gratulantes postremus esse nolo. Gratulor itaque TIBI de pulchro hoc scientiae medicae specimine, de studiorum arti salutari impensorum per com-

complures annos ſine exoptatiſſimo, de ornamentis, quae TIBI ab Ordine noſtro nunc ſunt conſtituta. Cape ergo laetus hanc lauream medicam, eamque multis coniunge cum decoribus, quae TVA TIBI virtus ac ſcientia ſpondent. Caeterum a me inpoſterum quoque propenſum TVIS ſtudiis et commodis inſeruiendi animum expectare poteris. Vale, resque TVAS omnes, quas ſuſcipis, ſemper ex voto perage. Dab. d. XXX. *Mart.* CIↃ IↃ C C L X.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO

DOCTORANDO

FAVTORI HONORATISSIMO

S. P. D.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN.

PHILOS. DOCT.

Tandem ille illuxit dies, quo TV, FAVTOR ac AMICE HONORATISSIME, ad honores, ſcientiae ac virtutis comites feliciter adſpiras, et mihi, per aliquot annos quem amicitia TVA complexus es, iucundam, quam diu optaui, praebes occaſionem, publice meam de egregiis, quos nunc feciſti, progreſſibus declarandi laetitiam. Nihil magis in votis habeo, quam vt Numen ſupremum omnia TIBI largiatur, quorum ope ad conſummatam progredi poſſis felicitatem et ſtabili frui voluptate. Vt vero in poſterum fauorem TVVM, quem magni ſemper habebo, beneuole mihi concedere pergas, rogo. Dab. Ienae d. XXVIII. Mart. CIƆ IƆ CC LX.

CLA-

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

I. F. P. BÜHNER

MEDICINAE DOCTORANDVS

HILPERHVSANVS, OPPON.

Quo acceptius mihi fuit, TEcum habere amicitiam, eo magis amica TVA inuitatione oblatum opponentis munus animo suscepi lubentissimo, maioremque in modum laetor, quod amicitiam nostram confirmandi, laurumue ex certamine merito reportatam, TIBI vna cum aliis concorditer applaudendi, occasionem nanciscor iucundam. Gratulor TIBI ex animo de eximiis, quos comprobasti, profectibus et meritis, quibus nunc, longe dignus, ornaberis honoris accessionibus, pariterque vlteriores faustissimos, fortunante Deo, successus, et in omnibus TVIS conatibus, et inprimis in artis salutaris exercitio, enixe apprecor, quo omnia TVA conamina in Summi Numinis diuini honorem, artis Apollineae incrementum, patriae atque familiae TVAE gloriam innummerorum aegrotantium auxilium euadant, et sic vita fruaris longaeua atque prosperrima. Reliquum peto, vt me absentem quoque amicitiae TVAE ac fauori habeas commendatissimum.

Sie

Sie schmeichelt Dir mit Zeichen ihrer Gunst,
Sie, die Gesellin edler Werke
Ob ihre Kunst
Mit größrer Stärke
Die Herzen rührt,
Ob sie, die Ehre, mehr entzücke,
Ob mehr, als sie, der Reiz vom Blicke,
Wenn Phillis GegenLiebe spürt,
Die lüstern Sinne rührt;
Freund, dieß entscheid ich nicht.
Doch wünsch ich Dir aus FreundschaftsPflicht,
Daß bald ein Kind voll Geist und Leben
Den schweren Scrupel leicht zu heben,
Von jungfräulichem Zwange frey
Dich lehre, was die Liebe sey.

Hierdurch stattet Sr. HochEdlen, dem wertheſten Herrn Candidaten seinen ergebensten Glückwunsch ab

Adolph Albrecht Hamberger
Opponens.

MOLT

MOLT ILL^{RE} ED ECC^{MO} SIG^{RE}

DOTTORANTE

AMICO MIO SOAVISSIMO,

ESTIMATISSIMO

Mi si presenta una giocondissima occasione di mostrarle publicamente quanto la stimo. Essendo tutti quelli che congiungono alla polita condotta, ed umanità una particolare destrezza, ed industria d'ingegno degni d'esser riveriti, ed amati; ella puo con ogni maggior dritto pretendere il mio amore, e la mia stima. La di lei umanità, ed indefessa industria m'è piu che conosciuta del che devo oggi esserne teste; ma la di lei dottissima disputazione inaugurale, e la dignità Dottorale che V. S. MOLT ILL^{mo} ed ECC^{mo} oggi meritamente ottiene, ne sono degnissimi testi. Un veridico segno del suo indicibil favore verso di me, riconnosco dal grand'avantàggio ch'ella s'è compiaciuta di procurarmi per i di lei eruditi discorsi. Perciò le auguro che la dignità di Dottore le batti la strada di poter conservare la sanità ai suoi futuri pazienti, e d'impiegare ottimamente l'utilissime scienze imbebute, e di pervenire di giorno in giorno al maggior grado di felicità, e ch'ella viva lungo tempo felice, e contenta. Nel resto la prego di conti-

nuarmi anche nella lontananza la di lei grata, e benevolo memoria, ed io dal canto mio rimango per sempre con ogni dovuta stima, e rispetto

di V. S. MOLT ILL^RE ed ECC^MA

Giena li 31. di Marzo 1760.

umilissimo Servitore

L. F. E. RVMPEL,

Erfurtense Opp.

VIRO
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
MEDICINAE
DOCTORANDO

S. P. D.

WILHELM GOTTFR. VOGLER
MVLHVSANVS OPPONENS.

Velim TIBI, PRAENOBILISSIME DOCTORANDE! persuadeas me voluptatis mente plenissima hancce scriptionem aggredi, quum exoptatissima data mibi est occasio, animum meum TIBI deditum testificandi. Desideraret itaque officium meum, vt TVAM singularem dexteritatem et indefessum in addiscendis disciplinis adhibitum studium summis efferrem laudibus, sed ne

TIBI

TIBI sim encomiis molestus, potius honores merito prosequendos ex intimo animi affectu TIBI gratulor et opto, vt Summum Numen omnia ita dirigat, vt felicitas TVA semper maneat intacta semperque perfecta, et vt saluus et incolumis per longissimum temporis spatium eo fruaris honore, quem hodiernus dies tanquam praemium laborum TVORVM TIBI largitur. Valeas, me autem commendatum habeas, etiam atque etiam abs TE peto et contendo. Ienae die XXXI. Martii M D C C LX.

VIRO
PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
FRANCISCO PETRO EMCKEN,
MEDICINAE DOCTORANDO
S. P. D.
IOANNES NICOLAVS WEISSER,
ANGLO-COMBER.

Nihil ab anima mea magis abhorret, quam assentandi studium, quod sui commodi spe plerique amant. Et TIBI AMICE AESTVMATISSIME! cur assenter, ego etiam causam video nullam. Amari ab homine praestantis ingenii, insignis probitatis, cogitationes curasque suas omnes ad vnam virtutem referente, amari inquam abs TE TVAque frui

amicitia

amicitia, res est omnino optatu dignissima, sed TVO me amore iamdiu prosequeris, atque amicitia plane singulari. Testantur hoc non exigui momenti beneficia a TE in me profecta. Agerem TIBI gratias pro hoc TVI in me animi affectu, si vel TVA pateretur humanitas, vel ego is essem, qui bene de me merenti verbis potius quam re satisfactum vellem. Grata tuebor memoria officia TVA in me collata donec illucescat ille dies, vt gratiam referre liceat. Hanc interim cum de officio meo cogitarem, facere non potui, quin de summis in Medicina, quibus TE gratiosus Medicorum ordo ornatum esse vult, honoribus TIBI congratulantibus gratulabundum et me adiungam. Gratulor itaque TIBI hosce honores non ore solum, sed toto pectore gratulor, simulque summam summi Numinis gratiam venerabundus precor, velit TE sospitem ad seros vsque annos seruare, ac incolumem, quo TVIS honori, patriae ornamento, aegrotis gaudio atque solamini esse possis quam diutissime. Vale Amicorum carissime! meque et absens amare perge. Dab. Ienae V. Calenda I. Aprilis CIↃ IↃ C C LX.